



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

38. An Inquisitores in imponendis poenis teneantur sequi vota
consultorum? Et aliqua alia quærentur, & notantur inter consultores, &
Inquisitores contingentia. Et in calce huius Resolutionis alium ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

In S. Officio imponendis. Ref. XXXVII. 535

Instruct. Tolet. ann. 1561. num. 66. sic statuitur. [En todos los casos que huviere discrepancia de votos entre los Inquisidores y Ordinatio, o alguno dellos en la definicion de la causa, o en qualquier otro auto, o sentençia interlocutoria se deve remitir la causa al Consejo.] Sic ibi, quod etiam observatur in quibuscumque appellationibus. Vnde Bariola in florib. Inquisit. part. 2. comment. 31 §. 12. sic asserit: Ab Inquisitore & ab Episcopo, ad Rom. Inquisitionem appellatur, vel ad Papam, in Hispania à privatis Inquisitoribus ad Generalem Regnorum Inquisitorem, quod etiam notavit Martinus Real in allegat. pro jur. sancti Officii, conclus. 1. num. 108. ubi sic ait: [Desta Inquisicion de Sicilia y de las demas de España se va en grado de apelacion, o por via de recuso, o agravio al Inquisidor General, y Consejo de la General Inquisicion en virtud de Privilegios Apostol. de las demas Inquisiciones de Italia, se recurre a la sacra Congregacion de la universal Inquisicion por disposicion de derecho.] Ita ille, & ante illum Pegna in direct. Inquisit. part. 3. comment. 21. nam. 116. & Paramus de orig. Inquisit. lib. 3. quest. 4. num. 101. & ideo in dicta Instruct. Tol. ann. 1561. num. 84. ita habetur. [Si en algun caso pareciese a los Inquisidores, que deven otorgar la apelacion en las causas criminales de los Reos que estan presos, deven embiar los procesos al Consejo.] Sic ibi, & hæc praxis fundata est in privil. Pontif. & in particulari Clem. VII. ut patet in ejus Bulla data Romæ 16. Junij anno 1525.

2. Verum quia in hoc Regno Siciliae adsunt tres Inquisitores, & Episcopus cum illis, quid faciendum si inter eos in judicando oriatur aliqua differentia? Ad hoc dubium respondet Simanca tit. 60. cap. 10. sic enim ait: Cum Inquisitores dissentiant, & causa in senatu S. Inquisitionis definitur, sententia subscribere omnes debent etiam ij qui contrariam, vel diversam opinionem tuebantur. Quod si forte in provincia quapiam tres Inquisitores sint, & unus eorum cum Episcopo, vel ejus Vicario sentiat, alij autem duo Inquisitores ab eis dissentiant, remittenda est causa ad Senatum. Si vero duo Inquisitores cum ordinario consentiant, sententia protinus ferenda est, non expectato judicio Senatus. Ita Simanca.

3. Notanda est etiam hic obiter alia differentia inter Inquisitionem Romanam, & Hispanam. Nam in Inquisitione Romana postquam concorditer Episcopus, & Inquisitor impoluerunt delinquenti aliquam poenam possunt cumulative illam minurare, ut docet Bariola in aphor. lit. P. ver. Poena §. 15. ubi sic ait: Poena delinquentibus in S. Officio minorari potest per Ordinarium, & Inquisitores, ex c. commissi. de heret. in 6. Hodie ex decr. Urbis de mandato Urban. VIII. id fieri non potest, nisi cumulative, id est, consentiente Episcopo, & Inquisitore. Ita ille. Vnde non est amplius amplectenda opinio Zanchini tract. de heret. cap. 21. numero 2. asserentis, Inquisitores circa laicos posse mitigare & mutare poenam petito consilio Episcopi, licet non obtento consensu; sedus vero circa Clericos; nam debet requirere consilium, & expectare consensum, non, inquam hæc opinio est amplectenda amplius, nam ex dicto decreto Urb. VIII. Inquisitoribus denegatur potestas minorandi poenas sine consensu Episcopi. Sed hæc omnia procedunt in Inquisitione Romana non autem in Hispana, ubi ex speciali privilegio Sum. Pontif. solus sup. Inquisitor habet potestatem minuendi, & relaxandi poenas delinquentibus impositas, ut testatur Rojas singul. 155. num. 5. & part. 2. de heret. n. 210. & num. 382. ubi sic ait, De jure comm. Inquisitoribus vel una cum Prælati permissum erat mutare, seu mitigare sententias in hæreticos jam prolatis, ex c. ut commissi §. necnon, de heret. in 6. quod sanè hodie aliter statutum est per instruct. Hispanen.

cap. 17. & Tolet. in cap. 9. nam ad solam S. Inquisitionem id diffinitionis genus hodie pertinet. Ita ille, & hoc etiam observat Simanca tit. 16. num. 20. Pegna in direct. part. 3. comment. 108. & 141. Farinacius de heret. quest. 186. num. 79. & alij. Vnde hodie Inquisitores in depositione Crucis signata vulgò dicta san. Penito, minime dispensare possunt, sed hoc ad Supr. Inquisitorem spectat, ut ex Simanca notavit Pegna ibi supra in comment. 108.

RESOL. XXXVIII.

An Inquisitores in imponendis poenis teneantur sequi vota Consultorum?

Et aliqua alia queruntur, & notantur contingentia inter consultores, & Inquisitores.

Et in calce hujus Resolutionis alium casum decisum invenies pro Consultoribus tantum, Ex p. 4. tract. 7. Ref. etiam 38.

§. 1. Quid consilium Consultorum sit petendum, patet ex textu in cap. fin. ad med. de heret. in 6. & in cap. ut commissi, §. advocandi eodem titulo, & lib. Sed difficultas est, an in tali casu vota Consultorum sint decisiva, ita ut illa teneantur Inquisitores sequi? In Inquisitione Lusitana vota Consultorum esse decisiva testatur Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 1. num. 14. & lib. 2. c. 36. num. 9. & hanc opinionem affirmativam absolute tenet Albertinus quest. 26. conclus. 15. Homobonus de Bonis, tract. de statibus part. 1. cap. 8. & Michael Zanardus in direct. Theol. part. 2. pr. 1. cap. 6. quest. 42. asserit esse periculosum, & reprehensione dignum, Inquisitores in tribus casibus à voto Consultorum discordare. Primum, quando cum Consultoribus consentit Episcopus. Secundum, quando omnes Consultores sunt in uno voto. Tertium, quando major pars consentit in innocentiam Inquisiti; & etiam absolute Decianus lib. 5. cap. 24. numero 10. tenet, quod Inquisitores teneantur sequi peritorum consilia.

2. His tamen non obstantibus (sententiam contra me ipsum proferendo puto vota nostra in sacro Tribunali non esse decisiva, sed tantum consultiva, & ita servari in Inquisitione Hispanica, patet ex Instruct. Tolet. anno 1561. num. 66. ubi sic statuitur, [En todos los casos que huviere discrepancia de votos entre los Inquisidores, y Ordinatio, o alguno dellos en la definicion de la causa, o en qualquier otro voto, o sentençia interlocutoria, se deve remitir la causa al Consejo; pero donde en los suso dichos, estuvieren conformes, aunque las Consultores discrepen, sean mayor numero, se execute los votos de los Inquisidores, y ordinario.] Ita ibi in quibus verbis clarè determinatur, vota peritorum esse tantum consultiva; & ita etiam tenet Aloysius Bariola in aphor. lit. P. ver. vota Consultorum. Barbola in Collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 12. num. 8. Cenedo Collect. 27. num. 2. in 6. Decretal. Tabiena ver. Inquisitor. n. 12. Lucerna Inquisit. ver. Advocatus, 4. & ibi Pegna in annotat. Zecchius in sum. tom. 1. tit. de heret. c. 11. num. 14. Rojas de heret. 1. n. 409. & part. 2. num. 166. Simanca tit. 41. num. 14. Bursatus lib. 1. consil. 90. num. 36. & 49. Trevifanus lib. 2. decis. 35. num. 1. Spina contra Ponzinibium Apol. 3. cap. ult. Verum ego puto, cum Pegna in direct. Inquisit. part. 3. comment. 127. non esse tutum si Inquisitores sunt Theologi, discedere à Consultorum suffragiis, quod etiam asserit Bariola ubi supra.

3. Sed major difficultas est, an Inquisitores licet non teneantur sequi vota Consultorum, teneantur tamen advocare illos, ita ut sententia sine eis prolata, sit invalida? & affirmativè videtur respondendum quia,

quia in casu nostro petere consilium peritorum, requiritur pro forma; ea vero deficiente, actus non subsistit, ut patet in c. dilecta, de rescriptis. Unde dixit gloss. celebris in cap. non est de consuetudine in 6. quod si sententia proferenda est cum alterius consilio, si eo non expectato proferatur, non valet sententia, neque opus est appellatione, & in cap. cum in veteri, de electis, irritatur electio ob omissionem consilii & idem habetur in cap. novit, de his qui sunt a Prelatis; & hanc sententiam tenet Morla in empur. juris, lit. 12. quasi. 10. num. 2. & in terminis hanc opinionem mordicus docet Carthus Palas tract. 4. dist. 8. punct. 11. num. 4. ubi probat sententiam latam ab Inquisitoribus non vocatis Consultoribus esse invalidam.

4. Verum contra Palaum posset aliquis dicere, quod si aliunde habenti potestatem mandatur consilium peti, ob illius omissionem non debet censeri actus nullus, ut tenet Sylvest. ver. consilium, quasi. 1. Et 3. Panor. in cap. ex parte, de consuetudine, circa finem, Salas de legibus, dist. 4. si. et. 10. num. 43. & alij, quia in tali casu praesumitur consilium mandari, ut recte actus praestetur, non, ut valide; sed hoc accidit in casu nostro, nam ut patet in dicto cap. fin. Bonifacius VIII. praecipit Inquisitoribus, ut in sententiis adhiberent peritorum consilia, qui tamen Inquisitores antea ab aliis Pontificibus, & praesertim ab Urbano IV. & Clem. IV. ut docet Mosconius de majoribus militum, Eccles. part. 1. cap. 11. & Zanardus in direct. Theolog. part. 2. pr. 1. cap. 6. quasi. 6. potestatem sententiandi contra haereticos sine voto Consultorum habebant. Ergo, &c.

Sup. hoc sup.
in tr. 10. Ref.
38. §. 1. prop.
fin. à ver.
Securus au-
tem. & in
Ref. 9. §. 1.

5. An vero Inquisitores teneantur adhibere consilium peritorum in captura? respondet Soula in Aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 26. num. 16. ubi sic ait. Quando adiunt sufficientes probationes ad capturam, petat Fiscalis ab Inquisitoribus, ut reus comprehendatur, qui de peritorum consilio quid opus sit deliberent, quamvis sine eorum consilio id facere possint. Ita ille, & ante illum Pegna in direct. part. 3. comment. 17. unde in Instruct. Tolet. anno 1561. num. 3. sic habetur. [Los Inquisidores vista la informacion juntamente, y no el uno, sin el otro, si estuvieren ambos presentes acuerden la prision, & parece seria mas justificada se comunicasse con los Consultores de aquella Inquisicion si buenamente se pudiere hazer y paregiere a los Inquisidores conveniente y necessario.] Sic ibi, & in hoc casu loquutus est textus in cap. ut commissi, de haeret. in 6. ubi datur facultas Inquisitoribus vocandi peritos, prout expodierit, quasi tacite insinuans non esse vocandos; si iudicatum fuerit non expedire; quod est valde notandum, ut iste textus concordetur cum alio textu in cap. fin. §. jubemus, eodem titulo, ubi in sententia ferenda, ut supra visum est, jubetur Inquisitoribus Consultores omnino vocare.

6. Et tandem pro coronide hujus resolut. notandum est hic obiter in ordine ad praxim, quod in ali-

quibus Inquisitionibus consuetudo obtinuit, ut nomina testium Consultoribus non manifestentur, nisi in aliquo speciali casu, ut notat Aloysius Barcola in aphorism. lit. T. ver. Testis, §. 8. Honoratus Figuerola in notis marginalibus ad Zanchinum ubi infra. Michael Zanardus in direct. Theolog. p. 2. cap. 6. quasi. 42. Pegna in direct. Inquis. part. 3. comment. 129. & hanc opinionem tenet Campegius in addit. ad Zanchinum, tract. de haeret. cap. 15. lit. A. & novissime Castros Palas ubi supra num. 3. & supradicta consuetudo, ut opinor, introducta fuit in favorem fidei, ad alliciendum testes, ut facilius, & securius contra haereticos deponent, cum scirent eorum nomina non solum reis, sed etiam neque Consultoribus manifestari.

7. Verum praxis nostrae Inquisitionis Hispanicae contrarium observat, & ideo Consultoribus manifestantur nomina testium, quod expressè habetur in cap. statutus, jubemus de haeret. in 6. & ibi Ancharanus num. 1. in fine, & ita docet etiam Soula in aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 6. num. 76. & Eymericus in direct. Inquis. part. 3. quasi. 80.

8. Nota etiam, teste Honorato Figuerola in notis marginalibus ad Zanchinum de haeret. cap. 15. in addit. lit. A. quod aliquarum Inquisitionum usus comprobatur, ut Consultoribus summa tantum processus manifestetur. Sed in nostra Inquisitione Hispanica, ut observat Paramus de origine Inquis. lib. 3. §. 4. num. 16. per extensum à Secretario S. Officii Consultoribus totus processus legitur, & ita statuitur in Instruct. Toletana anno 1561. ubi num. 40. sic habetur. [Puesta la causa en este estado los Inquisidores juntaron con sigo al Ordinario y consultores del santo Oficio a los quales comunicarian todo el processo, sin que falte cosa alguna del.] Ita ibi. quod etiam determinatur in dicto cap. final. §. jubemus, de haeret. in 6. Vide etiam Eymericum in direct. Inquis. part. 3. quasi. 79. & ibi Pegna comment. 128. cum Lucerna Inquisitor. §. 21. & Zanardo ubi infra, & quia in hac resolutione incidit sermo de Consultoribus, nō desinā hic adnotare cum Michaelē Zanardo in direct. Theol. part. 2. praecipit. 1. §. 6. §. 42. quod dum Consultores de causis fidei auditis inter se discurrunt non audientibus alijs, qui non sunt Consultores, quamvis de his discurrant extra Congregationem, non incurrunt poenas violati secreti, imò postquam publicatus est processus, & lecta sententia, possunt dicere votum quod in dicta causa dederunt, quia agitur de re jam publicata; potest tamen hoc esse peccatum, quando alij deveniunt in cognitionem illorum, qui contra delinquentes votarunt, & sic oriuntur rixae, odia, &c. licet quo ad hoc ultimum opinio Zanardi non videatur amplectenda. Et haec dicta sufficiant circa praesentem tractatum, salvo semper meliori iudicio & censura Eminentissimorum Dominorum meorum Cardinalium Inquisitorum Generalium in sancta Universali Inquisitione Romana, & supremi fidei Quæstoris Sanctae Inquisitionis Hispanicae.